



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An delegatus Papæ absolvere possit cum, qui dicit ab ordinario se suo injustè excommunicatum esse, vel post legitimam appellationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

delegatorum à sede Apostolica aliqui partem tantum causæ subdelegaverint aliis, quo in casu non jam ad delegatos subdelegantes, sed ad primam delegantem Pontificem scilicet appellandum est, *c. si duo 3. h. t. in 6.* cum enim appellatio fieri debeat ad superiorem, nullus autem delegatorum, respectu alterius, ab eadem sede, in eadem causa, delegati sit superior, consequenter in nullo casu ad parem condelegatum fieri potest appellatio, sed à dignitate delegantium desumi debet, ad quem fieri debeat appellatio. Tertiò si excipiat contra delegatum, partem causæ subdelegantem, quòd jurisdictionem non habeat, eo quòd v. g. mortuus fuerit Papa delegans prius, quàm causa commissã per delegatum cœpta fuerit, in hoc enim casu non ad delegatum, qui negatur habere jurisdictionem, sed ad primum delegantem appellari debet, *c. si à subdelegato 14. h. t. in 6.*

§. IV.

An delegatus Papæ absolvere possit eum, qui dicit ab ordinario se suo injuste excommunicatum esse, vel post legitimam appellationem?

Responso ex *c. cum contingat 36. h. t.* repetenda, ubi duæ ad hanc rem spectantes dantur regulæ; prima est quod conquerens se injuste excommunicatum esse, & negans etiam validè latam esse excommunicationem, absolvi ante omnia debeat juxta formam Ecclesiæ, præstita scilicet cautione, quòd Ecclesiæ mandatis sit pariturus (cum enim excommunicatio injusta quidè, non tamen nulla saltem in foro externo legit, consequenter

ab ea absolvi prius debet reus quàm probationes de injusta hac excommunicatione proferat, ut audiri postmodum possit, si injustam fuisse excommunicationem probare velit) nisi statim probare velit contraria pars latam eam fuisse propter notoriam contumaciam. Secunda regula est, quòd recipi debeant statim, antequam nulla declaretur excommunicatio, de nullitate illius, si pars opponat latam in se fuisse excommunicationem post legitimam appellationem interpositam, aut quòd in ea ferenda intolerabilis error expressus sit, si enim probat invalidam fuisse, tum nullam absolutionem opus est, cum nulla fuerit ligatio, nec in interno, nec in foro externo, pro quo tamen ligatus est, qui injustam tantum sui excommunicationem præterdit.

SECTIO VI.

De prorogatione jurisdictionis Iudicis delegati, & ejusdem recusatione.

§. I.

De prorogatione, sive extensione jurisdictionis delegata.

Respondetur primò, quòd jurisdictio delegata prorogari non possit, sive extendi ad personas in rescripto non expressas, etiam de consensu partium, ut constat ex *c. P. & G. 40. h. t.* (cum enim strictæ explicationis sit rescriptum delegationis, & quidem juxta mentem delegantis, consequenter nullam licet partibus pro suo placito facere extensionem